

[2] Messias est & manet lapis offensionis: ad hanc A  
Petram omnes collimant sagitta, &c. Luc. II, 34. Jes.  
VIII, 14. Rom. IX, 32.

[3] Intuitu hujus vilipendamus opprobria propria.  
1. Petr. II, 21.

## USUS E VERSU LIII.

Vide eandem hanc clausulam Psalm. XLI, 14. Lau-  
dandus nim. Deus, etiam in angustiis mediis, Job. I, 21.  
Actor V, 41. Spes jubulare incipit Deumque celebrare,  
etiam si malorum finem nondum vidit.

## PSALMI XC. DISPOSITIO.

Vita brevis, misera. Disce mori. Causa mortis.

**E**st hic I. Elogium Dei benedicti; (1) à  
benignitate erga suum populum: *fui-  
sti nobis perfugium per tot generationes:*  
v. 1. (2) ab aeternitate quoad seipsum: *tu à se-  
culo in seculum usque es & fuisti Deus, antequam  
fierent montes & terra:* v. 2. (3) ab imperio ir-  
refragabili: *hominem corrumpes, homines re-  
vocas:* v. 3. (4) ab immensurabilitate: *mille  
anni in oculis tuis tanquam dies heri prae-terlap-  
sus, aut tanquam vigilia nocturna:* v. 4.

II. Deploratio humanæ vanitatis: (1) *ab-  
ripis eos:* (2) *somno asfūnantur:* v. 5. imò (3)  
*gramini, mane florenti, vespere evanido:* v. 5. B  
6. (4) *consumimur per iram tuam:* v. 7. dum sc.  
*iniquitates nostras examinas accuratè:* v. 8. (5)  
*vita nostra abscedit quasi confabulatio, vel ha-*

*litus, v. 9. (6) terminus vitæ est brevis: LXX. vel  
LXXX. annorum:* v. 10. (7) vitæ occupatio-  
nes: *labor & iniquitas:* ibid. (8) exitus inopi-  
nus, *succidi*, item *avolare nos faciens:* ibid.  
(9) *nos ad hæc omnia, præcipue, iram tuam,  
stupidi:* v. 11.

III. Gratiæ petitio. (1) *doce nos numerare  
dies nostros:* ut (2) *afferamus cor sapiens:* v. 12.  
(3) *revertere ad nos: quousque?* v. 13. (4) *mise-  
rere servorum tuorum:* ibid. (5) *exple nos manè  
gratiâ tuâ:* consequens: *cantabimus & letabi-  
mur quotidie:* v. 14. (6) *exhilara nos pro ratio-  
ne annorum arumnesorum;* v. 15. (7) *opus tu-  
um gloriosum patefiat servis tuis:* v. 16. (8) *sit  
super nos Domini suavitas:* v. 17. (9) *opus ma-  
nium nostrarum confirmet:* ibid.

## PSALMUS XC.

## EXPLICATIO VERSUS I.

**פְּרַחַתְּ** *precatio:*) pro avertenda scilicet pla-  
gâ mortis violentæ, ex lue pestifera, ut commu-  
nior fert conjectura, oriundæ. Tribuitur verò  
hæc inscriptio non nisi quinque Psalmis, XVII,  
LXXXVI, & CXLII, 1. qui vocantur precatio Da-  
vidis; CII, 1. ubi nullius mentio fit nominis pro-  
prij, **הַפֶּחַחִי** afflicti, quando anxius est, &c. &  
denique huic nostro. De voce ipsâ consule  
*Psal. XXXIX, 13.*

**לְמֹשֶׁה** *Mosis:*) quâ videlicet usus est tum  
ipse, quando peccavit populus secundum  
*Chald.* tum populus quoque Israëliticus, formu-  
lam hanc edoctus. Mosen verò tum hujus, tum  
sequentium X. psalmorum anepigraphorum au-  
torem esse, censuit *Hieron. epl. ad Cypr.* Et quidem  
Coppenio psalmus hic videtur conscriptus sub fi-  
nem vitæ tædiò annorum 40. *Luther. tom. 4. Jen. f.*  
*522.* tantum hunc, non seqq. vult Mosis psalmum.  
R. Saadia, referente Kimchiò, Mosen pro filiis Mo-  
sis, i. e. Levitis cantantibus poni, vult. ineptè.

**אִישׁ הָאֱלֹהִים** *vir Dei:*) i. e. prophetæ illi-  
us insignis ac incomparabilis. Ita namque **אִישׁ**  
seorsim aliàs pro virò forti aut primariò solet  
poni, sicut **אִישׁ פְּלֵבֵי** pro plebejo atque vili; uti mo-  
nitum *Psal. XLIX, 3.* Cum adjunctò autem geni-  
tivo, *Elobim*, tribuitur personis peculiariter à  
Deò instructis, ablegatis atque inspiratis, ut *Jud.*  
XIII, 6. *vir Dei venit ad me, cujus aspectus erat  
sicut angeli Dei, vers. 8. obsecro Domine, vir  
Dei, quem misisti, veniat quæso iterum, &c. 1.  
Samuel. II, 27. venit vir Dei ad Eli, i. e. prophe-  
ta: cap. IX, 6. en nunc vir Dei (Samuel) est in istâ  
civitate. 1. Reg. XII, 22. fuit verbum Domini ad  
Semaja virum Dei: cap. XIII, 1. ecce vir Dei venit  
de Judâ in verbo Domini &c. cap. XVII, 18. quid  
mihi & tibi vir Dei? (ò Elia.) vers. 24. nunc no-  
vi, quòd vir Dei es. Atque sic Mofi quoque idem  
tribuitur titulus *Deuter. XXXIII, 1. Jos. XIV, 6. &c.**

Hinc simul constat, quid **אֱלֹהִים** **אִישׁ** de-  
signet 1. *Tim. VI, 11.* & 2. *Tim. III, 17.* nimirum mi-  
nistrum ecclesiæ, legatione fungentem Dei no-  
mine, qui quod agit, nomine Dei sui agit, ipsi  
totus consecratus, ipsiusque solum negotia cu-  
rans ac expediens confer 2. *Petr. I, 21.* acti à Spi-  
ritu Sanctò locuti sunt **אֱלֹהִים** **אִישׁ**,  
*Chald. נְבִיאָה רַבִּי.*

**אֲשִׁלֵּם** *asylum fuisti nobis:*) i. e. ad te, Domi-  
ne, in cunctis nostris angustiis periculisque  
prioribus confugimus semper, tanquam ad ar-  
cem munitissimam aut locum privilegiatum,  
quorsum nulla hostium penetrare potuit im-  
portunitas, à te nunquam fuimus ob indignita-  
tem nostram depulsi, apud te reperimus semper  
nostram sufficientiam, tanquam in domò vel  
habitatione instructissimâ, apud te securè latita-  
vimus adversus quoslibet adversitatum imbres,  
æstus, procellas &c. vide *Psal. XXVI, 8. LXVIII,*  
*6. ubi templum Dei vocatur אֲשִׁלֵּם, item Psalm.*  
*LXXI, 1. sis mihi אֲשִׁלֵּם, Psalm. XCI, 9. Excel-  
sum posuisti אֲשִׁלֵּם. Videtur simul ab Israelis va-  
gabundam in desertò & inter peregrinos respi-  
cere commorationem, ubi propriis destitueba-  
tur domiciliis; quorum tamen locum supplevit  
ipse Deus, à cunctis protegens injuriis, &c. Ac-  
commodant huc nonnulli, quod Ebrai Deum  
vocent אֲשִׁלֵּם locum, quia cuncta instar loci, poten-  
tiæ ac providentiæ ambitu complectatur. Quâ  
de re vide, si lubet, *Raimund. pugion. fid. fol. 433-  
565. & Voisin Theol. Jud. p. 270. seq. Luth. Zusflucht:*  
*fic & Belgæ. Quomodo hinc sequatur resurr. do-  
cet Luther. comm.**

**אֲשִׁלֵּם** *nobis:*) scil. Abrahami Israelisque poste-  
ris, quibuscum iniisti fœdus, adeò ut nos cir-  
cumcisi semper peculiari gavisi simus tutamine  
secundum singulas generationes, uti loquun-  
tur id annales sacri, & tunc atate Mosis in recen-  
ti erat apud singulos memoriâ.